

104

*Acta Apostolicae Sedis - Commentarium Officiale*

# ACTA OFFICIORUM

## PONTIFICIA COMMISSIONE

### AD REDIGENDUM CODICEM IURIS CANONICI ORIENTALIS

#### RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

##### I

LITTERAE APOSTOLICAE MOTU PROPRIO DATAE « CREBRAE ALLATAE SUNT » (XXII MENSE FEBRUARIO, ANNO MDCCCCXXXIX). DE DISCIPLINA SACRAMENTI MATRIMONII.

#### CANONIS 85 INTERPRETATIO AUTHENTICA

D. I. – Utrum sacerdos, latini ritus, legitime assistens nuptiis inter partem catholicam orientalis ritus et partem acatholicam, sive baptizatam sive non baptizatam, servare debeat praescriptum canonis 1102 § 2 C.I.C., an praescriptum can. 85 Litterarum Apostolicarum « Crebrae allatae sunt ».

R. Affirmative ad primam partem ; negative ad alteram.

D. II. – Utrum sacerdos, orientalis ritus, legitime assistens nuptiis inter partem catholicam latini ritus et partem acatholicam, sive baptizatam sive non baptizatam, servare debeat praescriptum canonis 1102 § 2 C.I.C., an praescriptum canonis 85 Litterarum Apostolicarum « Crebrae allatae sunt ».

R. Negative ad primam partem ; affirmative ad alteram.

##### II

LITTERAE APOSTOLICAE MOTU PROPRIO DATAE « POSTQUAM APOSTOLICIS LITERIS » (IX MENSE FEBRUARIO, ANNO MCMLII). DE IUDICIIS.

#### CANONIS 72 § 1 n. 6 INTERPRETATIO AUTHENTICA

D. I. – Utrum tribunal appellationis de quo in can. 72 § 1 n. 6 « a Patriarchis partium diversi ritus in causa » designandum, constituendum sit a Patriarchis partium in causa datis decretis pro singulis appellationis causis, an unico decreto pro omnibus.

R. Negative ad primam partem ; affirmative ad alteram.

D. II. – An verba can. 72 § 1 n. 6 « a Patriarchis partium diversi ritus in causa » intelligenda sint de omnibus Patriarchis fidelium quorum Hierarchae, ad normam can. 39 § 1, convenerunt de unico tribunali constituendo.

R. Affirmative.

CANONIS 151 § 1 INTERPRETATIO AUTHENTICA

D. I. – An verba can. 151 § 1 « in quolibet suaे eparchiae loco » ita intelligenda sint ut Episcopus possit, per se vel per alium, intra fines sui territorii, valide et licite actum potestatis iudicialis ponere etiam in locis quae sunt exclusivae iurisdictionis alias ritus, dummodo adsit expressus consensus Hierarchae praedictorum locorum.

R. Affirmative.

D. II. – Utrum interpretatio data in responsione ad I sit declarativa an extensiva.

R. Negative ad primam partem ; affirmative ad secundam.

Datum Romae, die 8 m. Ianuarii a. 1953.

De speciali mandato Sanctissimi

M. Card. MASSIMI, Praeses

L. ☩ S.

A. Coussa, Basilian. Aleppen., a Secretis